

rissimo Viro Beyero ibidem docente, foverit, me invitavit primum, ut in hanc Metallurgiam curiosius inquirerem, id quod gratâ mente heic publice profiteri volui.

§. 5. Secundum à Freiberga locum merito occupat urbs non minus elegans Hermundurorum *Schneeberga* argentifera, quippe quæ tam ferax argenti olim fuit, ut Peruvianis regionibus, quæ ob metallorum copiam celebrantur, parum cedere sit visa. Nam in fodinis à *D. Georgio* denominatis metallicorum præses, anno 1477. (cum septem annis ante à cive Zwickaviensi detectæ jam fuissent,) ex puro contiguousque argenti partibus, mensam atque subsellia ALBERTO Saxonix Ducis ac Hermundurorum Principi suisque ministris parare curavit, qui etiam cum illis, postquam descendissent, in eadem non sine gaudio pransus est, dicens ad ministros suos: Unser Kaysar Friedrich ist zwar gewaltig und reich/ich weiß aber doch/daß er aniso keinen solchen stattlichen Tisch hat. Mensæ hujus pretium æstimari potest, si quantitatem ejus cogitas, quam quidam vir *metallicus* ita descripsit: Aus dieser grossen des besten Erzes Stücken gediegenes Silbers/ zwey Lachter hoch/und ein Lachter mächtig/sind 400. Centner Silber gemachet worden. apud *Albin.* in der *N. B. C. p. 34.* Et memoratu etiam dignum videtur, quod primum hic tanta argenti fuerit copia, ut illud neque omne signari, neque ex eò moneta cudi potuerit: Integræ enim simul distributæ sunt massæ cultoribus. Ipsi Principes ex decimis ab anno 1471. ad annum 1501. hoc est, spacio 30. annorum, 5199. tonnas auri perceperunt. Tota vero summa, quæ spaciò septuaginta novem annis, laudatis Marchionibus Misniæ obvenit, fuit 41118. tonnarum auri. Ita *Petrus Albinus* computavit, tandemque auctoritate *Philippi* confirmat scribentis: Ab anno 1471. die Dorotheæ, ad annum 1550. ex venis Schneebergensibus distributa sunt iis, qui venas coluerunt impensis suis, 12335520.483. uncialium, id est, plus 123355. tonnis auri; & loco decimarum soluta Principibus 2055920080. uncialium, id est, plus 20559. tonnis auri; tantundem etiam solutum Principibus de signatione argenti vom Schlegel. Summa omnium facit 164473. tonnas auri. Videatur auctor modò laudatus in der *N. B. C.* qui alioqui patriæ amans, has venas per tot. tit. IV. descripsit.

§. 6. Non possum heic præterire *urbes montanas alias nomi-*